Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36814
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Nam ista nomina diabolo aptantur, Aspis est dum occulte percutit, Basiliscus cum palam venena disseminat, Leo dum persequitur innocentes, Draco dum neglegentes deglutit, Verum haec omnia pedibus xpi prostrata iacuerunt.

Exauditur qui clamat ad dnm dum ei premia profutura concedit, Dicit cum ipso sum. idest dum mens in angustiis devotae ferventius tribulatur, ereptus utique ex hoc mundo glorificandus est iustus quando in illa beatitudine collocatur.

Psalmus cantici commonet nos ut universis actibus nostris divinitati gratias referre debeamus, Dies sabbati requies interpretatur, per quam commonemur ab omni prava actione cessare.

Super aspidem & basiliscum ambulabis. ÷ & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me speravit & liberabo eum. protegam eum quoniam cognovit nomen meum.

Clamavit ad me & exaudiam eum. cum ipso sum in tribulatione. eripiam eum & glorificabo ÷ eum:.

Longitudine dierum replebo eum. & ostendam illi salutare meum.

PSALMUS CANTICI IN DIE SABBATI.

VOX ECCLESIAE DE EXALTATIONE IUSTORUM ET DE DITIONE IMPIORUM.

Hunc ergo beatum virum liberatum dicit. quoniam spem suam in ipsius virtute reposuit. protectum ab omnibus insidiis diaboli. Cognoscit nomen patris. qui filium non putat esse minorem.

Longitudo enim dierum. vitae est aeterna. quam nullus terminat finis. Ostendam illi salutare. hoc est enim quod fidelibus in summa regeneratione promittitur. quia salutare xpm dnm contemplantur.